



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 39. Papa neutri parti adhærere a Galliarum Rege rogatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.
A. C. 1515.

hilominus datis literis sororem suam, ne ad secundos thalamos procederet, comonere simulabat; quapropter Regina Henricum connubio cum Suffolciæ Duce adversaturum verita, clam se eidem hoc anno mense Martio conjunxit. Primo quidem Henricus rem permolestè ferebat, brevi tamen indignationi, utpote nonnisi specietenus conceptæ prævaluit lætitia, quam inde reapse percipiebat. Quocirca novos sponfos, die duodecima Maji Londinum venientes, perbenigne excepit, eorumque nuptias omnino ratas habuit.

§. XXXIX.

Papa neutri parti adhærere a Galliarum Rege rogatus.

Franciscus I. haud ignarus, Pontificis animum ob memorata foedera anxiiis agitari votis, eundem rogavit, ut saltem in caussa Gallos inter & Maximilianum Sfortiam neutrius partem sequeretur, sed fortunæ successum præstolaretur, demum cui magis faveret illa, suum quoque studium erga eundem palam profiteretur, fidemque fecit Rex, quod supremum Florentiæ Imperium Medicæorum familiæ semper conservare, nec unquam eorum, quæ sub Rege ejus Prædecessore gesta fuissent, memoriam retinere vellet, sed potius cum Sanctitate sua conjunctissime
vive-

vivere, semper paratus esset. Primo Sæcul. XVI. A.C. 1515.
 equidem Papa, ut se integrum, liberum-
 que conservaret, ægre admodum consen-
 tiebat; at postquam eidem proponere-
 tur, quod vix a quovis alio Principe pro-
 tuenda Sedis Apostolicæ auctoritate, pro-
 priæque Domus suæ incremento amplio-
 ra, quam Galliarum Rex polliceretur, sperari possent, ac præterea neo- electus Rex unius saltem anni cursu indigeret ad hoc, ut subditorum suorum affectum sibi conciliare posset, eo quod necdum Regni sui vires sibi perspectas haberet, proin adhuc illis uti minime valeret, hinc Leo, quamvis ejusmodi rationes veritati minus consonas censeret, illis tamen se victum simulabat, ac neutri parti favere pollicebatur; interim vero cum Rege Catholico foedus sancire intentus erat; Ferdinandus enim Pontificis amicitiam conservare, Gallosque ab Italiæ accessu arcere, summis votis anhellabat.

§. XL.

Sessio X. Concilii Lateranensis.

Ceterum omnes hæ rerum vicissitudines Cons. Labb. t. 14. p. 249. & seq.
 nullatenus Apostolicam Pontificis sol-
 litudinem interturbabant, quominus
 præstituta die quarta Maji Sessionem de-
 cimam Lateranensis Concilii celebraret,
 ei que ipse præsideret. Intererant que